

F. q. 258, 1.



DISPVATIO THEOLOGICA
DE
PRÆDESTINA-
TIONE

Q V A M

AVSPICE DEO OPT. MAX.

SUB PRAESIDIO

GERHARDI TITII

S. THEOLOGIAE DOCTORIS

ET PROF. ORDINARIII

Die Aprilis

IN ILLUSTRIS IVLIA

Publicè disputandam proponit

GEORGIUS CONRADVS *Dilfeld*

Northufanus.



HELMESTADI

Typis HENNINGI MULLERL

CIO 13 CLL



V I R I S

*Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis, Con-
sultissimis, Virtute & multiplici rerum experien-
tia eminentissimis, Inchytae Imperialis
Reipub. Northus.*

DNN. CONSVLIBVS Prudentissimis,
DN. SYNDICO I. V. L. Excellentissimo,
Reliquisq; **SENATORIBVS** dignissimis,
Patriæ Patribus exoptatissimis,

Dnn. Patronis & Evergetis suis omni hono-
ris & amoris cultu ætatem
prosequendis

Disputationem hanc Theologicam

In grati animi symbolum & studiorum
suorum commendationem

devotè

offert & inscribit

GEORG. CONR. Dilsfeld.



DE PRÆDESTINATIONE.

Primum principium salutis & reparatio-
nis hominum in æternum exitium prolap-
sorum, est immensa atque indebita Dei mi-
sericordia, *Φιλανθρωπία*, & beneplacitum.
*Deus qui dives est in misericordiâ, propter mul-
tam charitatem, quâ dilexit nos, cum essemus in
peccatis mortui, convivificavit nos in Christo Eph. 11, 4. Deus
est charitas. Et per hoc patefacta est charitas Dei in nobis, quod
filium illum suum unigenitum misit in mundum, ut vivamus per
eum 1 Ioh. 1v, 8, 9. Unde omnes, quotquot æternæ gloriæ
compotes fiunt, vasa misericordiæ à Deo ad id preparata vo-
cantur Rom. 1x, 23, ut intelligas salutem nostram miseri-
cordiæ & benevolentiæ Dei in solidum deberi. Hæc vero
misericordia & benevolentia, hoc beneplacitum Dei du-
pliciter potest considerari. Primò quidem ut sese habet
à parte Dei tantum, & est vera, seria, ac non simulata voli-
tio salutis omnium, nullo prorsus excepto hominum, non-
dum tamen habito respectu ad eorum diversam conditio-
nem, quod aliqui sint in Christum credituri, plures au-
tem in incredulitate suâ permansuri. Pertinetque ad vo-
luntatem Dei antecedentem, quâ ille dicitur aliquid velle
secundum sese & sine circumstantijs spectatum; revelatur
autem nobis clarissimis illis Scripturæ locis, quibus dicitur;
*Deum (non obstante lapsu) velle omnes homines salvos
fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire 1. Tim. 11, 4.
Deum non velle ullum perire, sed omnes ad pœnitentiam rever-
ti, 1. Petr. 11, 9.* Atque hinc ceu ex fonte quodam pro-*

manant omnia illa media, per quæ Deus miseros & æternæ morti obnoxios, mortales ad vitam æternam postliminiò reducere voluit, qualia sunt, quod filium suum in mundum misit eâ intentione, ut omnes redimeret, Ioh. III, 17. I. Tim. II, 6. quod filius ipse, volens & spontè pro omnibus sese tradidit oblationem & victimam Patri, Eph. V, 2, quod idem omnes ad se vocat qui onerati sunt, & omnibus refectioem promittit Matth. XI, 28, Marc. XVI, 15; uno verbo, beneficiorum quæ passione & morte suâ promeruerat salutarem usum, omnibus offert.

II. Alio modo Dei misericordia & beneplacitum considerari potest ex parte hominum, & prout ad eorum fidem & incredulitatem respectum quendam involvit. Et si enim Deus eo, quo diximus, modo omnes ex animo cupiat salvos, nec ullius interitu delectetur, actu tamen nemini salutem confert, aut conferre unquam voluit nisi credenti; juxta immobilem regulam; *Qui credit in eum non condemnatur, qui non credit, jam condemnatus est.* Ioh. III, 18. Hinc quia Deus in æternitate, qui hominum, ordini, quem adipiscendæ salutis constitueret, acquieturi, siue quanam virtute & ope gratiæ evangelio obtemperaturi essent, certissimè cognovit, inde quoque in ipsâ illâ æternitate illos ad vitam æternam elegit. Hoc beneplacitum pertinet ad voluntatem Dei consequentem, quâ ille vult aliquid conspectis omnibus circumstantijs; & est ordine posteriori præscientiâ fidei, quippe juxta ipsam tanquam normam elicited: præscientiâ autem illa cum isto beneplacito comparata, habet sese ad illud eo ferè modo, quo aliàs nostra cognitio, quæ voluntatem movet exhibitâ objecti bonitate, causa est actus in voluntate enati.

III. Hoc autem posteriori modo acceptum Dei de salvandis hominibus beneplacitum, est ipsa formaliter

172

prædestinatio. Neq; enim illa aliud quicquam est, quam beneplacitum divinæ voluntatis, quo ille ab æterno pro sua misericordiâ propter meritum Christi salvare constituit omnes, quos præscivit hoc ipsum meritum in virtute gratiæ, verbo annunciato innexæ, verâ, vivâ, & ad finem usque perseverante fide apprehensuros. Prædestinare sanè ex vi vocis significat ante-decernere, constituere, definire, item ad finem destinare quempiam; eligere autem, ex cœtu quodam aut nonnullos, aut unum eximere, reliquos autem præterire. Vnde omnes dicere electos, contradictionem involvit. Et parum hîc differunt prædestinatio & electio. Vtrâq; enim voce ex communi Ecclesiarum nostrarum usu denotamus actionem Dei internam & æternam, quâ aliquos è prolapsò genere humano, & eos quidem, quos finaliter præscivit in Christum credituros, ab æterno salvare constituit. Tantùm prædestinationis vox, simul vi particulæ *præ* prioritatem quandam ordinationis illius; electionis autem, vi particulæ *è* vel *ex* respectum connotare videtur ad eos, ex quibus fit electio. Quod exiguum est discrimen. Aliàs notamus, quod S. quidem Augustinus, Prosper Aquitanicus, Fulgentius prædestinationis vocabulum in malam quoque partem interdum accipiant, pro destinatione malorum ad poenam. Sed locus scripturæ in quo hanc significationem sustineat, invenietur omninò nullus.

IV. Loquendo autem de objecto hujus divinæ & ab æterno factæ electionis, dicimus illud esse totum genus humanum, Deo O.M. per infinitam scientiam in æternitate oblatum ut lapsum & deperditum. Hoc cum vel ex eo discere liceat, quod propositum eligendi miseratio vocetur, & objectum tam misericordiæ, quàm iræ divinæ typo vilis luti proponatur Rom. ix, 15, 16, 21, quæ omnia

A 3

miles

miseriam per peccatum antea contractam respiciunt; omnium tamen fortissime inde probatur, quod in tempore restitutio & reparatio salutis facta sit circa genus humanum prius in interitum prolapsum, ut ad oculum patebit legenti tria priora capita Geneseos apud Moisen. Ita vero ab aeterno Deum agere decrevisse, quomodo in tempore exsequitur, irrefragabilis est veritatis. Unde etiam nonnulli nec male sane, executionem vocant speculum decreti, in quo illud quasi relucet.

V. Cum autem ad decretum faciendum concurrere soleant actus partim intellectus, partim voluntatis, ab hoc quoque divino decreto iidem non aberunt. Videri quidem poterat, quasi repugnet hoc simplicitati essentiae divinae, si in ea ponantur actus intellectus & voluntatis, non tantum inter sese distincti, sed quorum unus altero quoque prior sit aut posterior. Sed sciendum, omnem, si quae hic occurrit, diversitatem, prioritatem aut posterioritatem, non esse a parte ipsius Dei, sed tantum in conceptibus nostris, dum scilicet ipsa simplicissima essentia divina, comparata ad diversa objecta, non tantum aliter aliterque a nobis concipiatur, sed alias quoque atque alias denominationes sortiatur, perinde ac si a parte rei & in ipso Deo revera plures actus essent. Prout enim objectorum, quae essentia divina respicit, cognoscibile unum vel volitum, & prius altero aut posterius in tempore esse deprehenditur, ita quoque constituuntur distincta momenta seu instantia, quo nunc cognoscere nunc velle, & hoc quidem prius velle quam illud, ipsa Dei essentia concipiatur. Scilicet ut illud Pauli Rom. 1, 20 huc aliquo modo accomodemus, τὰ ἀόρατα τοῦ Θεοῦ τῶν ποιημάτων νοεῖται: *invisibilia Dei, cognoscuntur ex rebus factis, quae in sensus & observationem incurrunt.* Talia momenta, si-

gna

grā seu instantia, docendī causā ponere oportet, si in hoc negotio distinctè & perspicuè procedere velimus.

VI. Ordo autem instantium illorum hic ferè est. Deus O. M. postquam prævidit hominem, quem ille creaturus erat in justitiā & sanctitate, inobedientem sibi futurum, & in peccatum atque exitium partim suggestione Satanæ, propriā partim culpā & negligentiam cum totā suā posteritate ruiturum, voluit ejus non obstante lapsu misereri. Hæc est illa, in singulis penè Scripturæ paginis radians indebita atque incredibilis misericordia, illa *viscera miserationum*, Luc. i, 78, quibus impulsus Deus, non tantum conceptam justissimam iram erga homines æquali sorte *in peccatis mortuos* jacentes, Eph. ii, 5 ponere, sed ad pristinum favorem aditum eis denuò referare paratus fuit. Ita autem porrò *dilexit mundum* æternæ damnationi obnoxium (ut colligitur ex Ioh. iii, v. 17) ut tamen *voluerit injustè eum salvum fieri*, ut Augustinus loquitur Enchirid. cap. xcvi. Itaque *ad ostensionem justitiæ* Rom. iii, 26. *filium suum unigenitum dedit*, Ioh. iii, 16, ut ille sese *traderet in precium redemptionis pro quibusvis* i Tim. ii, 6, & *fieret propitiatio pro totius mundi peccatis*, i Ioh. ii, 2, *ut viveremus per eum* i Ioh. iv, 9. Inde porrò proposuit, ut, qui filium & ejus ad mortem usque crucis præstitam pro mundi redemptione obedientiam, verā & ad finem usque vitæ duraturā fide amplexuri essent, tanquam unicum bonum sub cælo, in quo oporteat salvari & damnationem evadere; reipsā salutis fierent compotes, contumaces autem, impœnitentes & increduli in damnatione relinquerentur, sicuti rursus ait S. Iohannes; *filium suum unigenitum dedit, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. — Qui credit in eum, non condemnatur; qui verò non credit, jam condemnatus est.* Et quia placuit homines salvare inter-

ventu

ventu fidei, quæ suo genere est actio supernaturalis, sive suâ naturâ supra vires humanas posita, decrevit ipse eam in omnium animis accendere, qui verbum ejus audirent, legerent, ruminarent, & Spiritui sancto pios motus in illis per hoc suum instrumentum excitanti non contumaciter resisterent. *Fides enim ex auditu est*, Rom. x, 17. & semen verbi *αἰτιατός* & ex indole suâ fructificat, hominibus vix animadvertentibus, Marc. iv, 27, modo illud *in corde bono volvatur atque retineatur*, Luc. vii, 15; utpote cui *incrementum dat* ipse Deus I Cor. iii, 6. Sicut itaque fidem ab omnibus exigit, ita quoque omnibus per auditum & meditationem verbi largiri paratus est, nec cuiquam homini denegat, nisi qui consilium Dei adversus semetipsum aspernatur, Luc. vii, 30. Act. xiii, 46. Verbum autem ipsum annunciari voluit in toto mundo Rom. x, 18. Pro infinitâ vero scientiâ suâ, præscivit alios in virtute gratiæ cum prædicato verbo connexæ credituros, alios in contumaciâ & infidelitate permansuros aut fidem excussuros. Itaque & tandem, eos, quos finaliter credituros præscivit, elegit, sive ad vitam æternam prædestinavit, reliquos in contumaciâ & incredulitate perseverantes, præteriit, & in damnatione reliquit, uno verbo reprobovit. Inde Paulus Rom. vii, 29; *quos præscivit, eos etiam prædestinavit*, Et xi, 2; *non abjecit Deus populum suum quem præscivit*. Similiter I Petr. i, 2 *electi secundum præscientiam Dei Patris*. Et hic actus formaliter est ipse actus prædestinationis, ad quem reliqui sunt quasi prævij.

VII. Præscientia autem Dei ab æterno eligentis, pro objecto habuit homines eligendos. Si terminata fuit ad homines ut homines, vel ut miseros æternæq; damnationi obnoxios, tum omnes eligi oportuisset. Eligere autem, est alios ab alijs segregare. Hoc cum factum sit secundum

cundum præscientiam, necessum est per præscientiam aliquid deprehensum fuisse in nonnullis, videlicet qui electi sunt, quod in alijs non fuerit deprehensum. Et id ipsum ita comparatum fuisse, ut eo, tanquam causâ impulsivâ, vel potius ratione à priori extra sese Deus permotus fuerit ad decernendam salutem his præ illis. Quod enim probè notandum, quando quæritur an decretum Dei de salvandis hominibus absolutum sit, nec ne, tum hoc quæritur; an Deus nullâ causâ impulsivâ extrâ sese, sed solâ suâ *evdonicâ* intrâ sese, seu tantum quod sibi ita placeret permotus fuerit, ut aliquos homines, & hos quidem præ illis ab æterno salvos facere decreverit. Sicuti controversiæ statum hunc ipsum esse rectè & accuratè observat *Decad. II.* Dn. Meisnerus in Anthropologiâ. Dari autem aliquid extrâ *quest. III.* Deum & certo modo à parte nostrâ, Deo per æternam suam *S. XVI.* præscientiam oblatum, propter quod facta sit electio, contra Reformatos fortiter asseveramus, & id ipsum dicimus fuisse *fidem ut apprehendentem meritum Christi, sive Christum ut fide apprehensum.* Disertè enim dicimur Eph. I, 4 *electi in Christo*, & simul II. Thess. II, 13 *electi in fide veritatis*, sive verâ fide; planè sicut Rom. III, 24 dicimur *justificari per redemptionem Christi*, & tamen V. 28 *per fidem* quoque dicimur *justificari.*

IIIX. Probamus sententiam nostram inexpugnabili argumento, quod in hunc usque diem Reformatis cerebrum frangit; *Ob quam causam (impulsivam) Deus in tempore nos justificat & salvat, ob eandem ab æterno nos justificare & salvare decrevit. Sed ob fidem apprehendentem meritum Christi Deus in tempore nos justificat & salvat. Ergo ob eandem ab æterno nos salvare decrevit.* Majorem quidem loco movere vellent si possent Reformati. Validè enim fundatur in eo, quod actus exterior ita pendet ab interiore, ut con-

B fide-

sideratione morali unus quasi sint actus, nec aliter fieri possit quam ut ab ipso eodem à quo agens ad actum externum impellitur, ad internum quoque eliciendum sit impulsus. Minor in confesso est. Perstat itaque pari soliditate conclusio. Simili argumentandi ratione contra Pontificios conficitur, Deum neminem elegisse ob prævisa opera, cum in tempore neminem ex operibus salvum faciat, Rom. III, 28. Nempe quales in tempore sumus, tales quoque obijcimus præscientiæ divinæ in æternitate. Et quemadmodum in tempore fides in actu posita, non præjudicat gratiæ justificationi, ita nec in æternitate fides præscita obstat gratiæ electioni. Atque hoc demum modo clarum redditur, prædestinationem non esse absolutam, sed habere extrà Deum & à parte hominum, qui in tempore existuri erant, causam impulsivam, fidem scilicet prævisam, non quidem ut à viribus naturæ, sed ut à gratiâ Dei, quâ initium, progressum & perseverantiam, pendentem, quæque ex bonitate, dignitate ac virtute, non intrinsecè, sed ratione objecti, nempe ratione meriti Christi sibi competente æstimata, Deum moverit moraliter, ad decernendam aliquibus vitam æternam præ alijs.

IX. Idem nobiscum docent præclarissimi quique partis nostræ Doctores. Et Meisnerum quidem paulò ante citavimus, qui eò loci omninò adiri dignus. Nunc ex D. Balduino verba nostris plane gemina hîc adijciemus. Ille itaque quæst. III, ad part. II. cap. IX ad Rom. hâc de re tractans, *Si queritur, inquit, quidnam Deum impulerit, ut eligeret aliquos ad vitam æternam, hic profectò non in solâ vocatione Dei acquiescendum est, ea enim ad voluntatem antecedentem, electio ad consequentem pertinet; illa est omnium hominum, electio paucorum: sed includendum etiam meritum Christi, quod causam impulsivam nostræ electionis rectè appellamus.*

Elegia

Elegit enim nos in Christo, Eph. 1, 4. Quemadmodum igitur in missione filij causa interna impellens Deum ad faciendum decretum, est *Φιλανθρωπία* ejus, externa est miseria generis humani: ita in electione causa interna impellens Deum, est ejus misericordia, gratis enim elegit nos, ante jacta mundi fundamenta; externa est meritum filij sui, in quo electio facta est. Secundò, in negotio electionis alia est ratio operum, alia fidei. Absque respectu operum facta est electio, ideo non propter opera, sed propter Christum dicimur electi, hoc est per fidem in Christum, ut habet glossa Theophylacti super hunc locum: nam in Christo non absolutè considerato, sed fide apprehenso facta est electio, sine quâ fide Christus noster non est: Idcirco quemadmodum in Christo, Eph. 1, ita in fide veritatis electi dicimur, 2. Thess. 2, 13. Et post interjecta nonnulla; oportebat aliquid esse, pergit, quo terminaretur (ad quod terminaretur) Dei electio in hominibus. Homines enim, quatenus homines sunt, eligi non possunt; alioquin omnes eligerentur, cum omnes quoad substantiam suam sint aequales, ex eâdem massâ formati. Sed aliud quippiam est in homine, quod intuetur Deus, idque esse potest vel opus proprium in homine, quod hic negat Apostolus; vel extra hominem opus alienum, quod tamen certo modo fit nostrum, idque est meritum Christi fide apprehensum. Et hoc est tanti precij, ut ejus intuitu Pater aternus ex mera misericordiâ homines eligat ad vitam aternam. Hæc ita doctissimus Balduinus.

X. Quin, quod mirari licet, ipse Calvinus alicubi habet, ex quibus nostram sententiam deducere promptum est. Libro Instit. III, cap. XXI I, §. I. ubi ex professo hæc de re agit, ita loquitur. Paulus cum docet nos in Christo electos fuisse ante mundi creationem, omnem certè dignitatis nostræ respectum tollit. Perinde enim est, ac si diceret, quoniam in universo Adæ semine nihil electione suâ dignum reperiebat cœ-

lestis pater, in Christum suos oculos convertisse, ut tanquam ex
ejus corpore membra eligeret, quæ in vita consortium sumtu-
rus erat. Hic Calvinus insinuat electionem esse factam
non hominum, sed solius Christi intuitu. Aut itaque fa-
cta est intuitu Christi, ut absolutè considerati, & sic o-
mnes essent electi, pro omnibus enim missus, pro omni-
bus mortuus est Christus; aut ut fide ab hoc aut illo sibi
appropriati, & habemus quod volumus. Quin cum as-
ferit Calvinus, *Deum in Christum coniecisse oculos, ut quos in
vita consortium sumturus erat, tanquam membra ex ejus cor-
pore eligeret*, manifestò in nostram incidit sententiam. Si
enim electi debuerunt esse membra ex corpore Christi,
fidem in ijs præsciri & spectari oportuit, cum nemo sit
membrum corporis Christi, nisi qui fidei vinculo ei est al-
ligatus. Itaque Calvino ipso suffragante, Deus in ele-
ctione intuitus est Christum, & membra Christo adhæren-
tia, id est, elegit eos, quos prævidit fide Christo adhæsu-
ros. Cæterùm ne quid dissimulemus, Calvinus eodem
statim capite, & quidem §. III, more sibi non insueto à
se ipso fit diversus. *Deum, inquit ibi, in semet ipso propo-
suisse, perinde valet ac si diceretur, NIHIL extrà sese consi-
derasse, cujus rationem in decernendo haberet.* Quam qui-
dem hominis inconstantiam, nos præstare non possumus.

XI. Atque ita nunc evictum erit, electionem ho-
minum ad vitam æternam factam esse juxtà præscientiam
fidei apprehendentis Christum, adeoque non esse abso-
lutam. Idem esto judicium de reprobatione, eam scili-
cet haut magis esse absolutam. Argumentari enim simi-
li modo possumus: *Ob quam causam (impulsivam) Deus in
tempore damnat, ob eandem damnare decrevit ab æterno. Sed
Deus in tempore ob infidelitatem & peccata damnat, Ergo
Deus ob infidelitatem & peccata ab æterno damnare decrevit.*

Cau-

Causam, inquam, reprobationis esse dicimus præter peccatum originale sive connatum, prævisam voluntariam & evitabilem contumaciam, impœnitentiam & infidelitatem Ioh. III, 18. Quod si autem reprobis ordinatione Dei, cui resistere non possint, inijceretur peccandi necessitas, ut nonnulli impiè scripserunt, quomodo peccantibus illis jure succenseret? Rom. IX, 19. Iniquissimus etiam fuisset, si citrà prævisionem lapsus & peccati ex absoluto tantùm beneplacito, quenquam damnasset, ut satis insinuat Paulus Rom. III, 5, 6; *Numquid iniquus est Deus, qui iram infert (in innocentes)? absit! alioqui quomodo iudex erit Deus mundi?* Equidem considerando genus humanum ut lapsum, potuisset Deus sine iniustitiâ quosdam è damnatione eripere, cæteros eidem relinquere involutos, quomodo sine omni iniustitia, angelis præcisâ omni spe veniæ abjectis, hominibus tamen peccatoribus aditum ad gratiam patefecit. Sed eum noluisse suo illo jure uti, credimus Scripturis, Deum neminem voluisse perire nec morte peccatoris delectatum esse apertissimè nos docentibus.

XII. Colligamus itaque nunc veram doctrinam & breviter sub conspectum redigamus. Deus O. M. postquam ab æterno prævidit hominem, quem ipse rectum & sanctum, sine citrà dubium optimo condiderat, propriâ inobedientiâ legem transgressurum, & sese atque posteros æterno exitio involuturum, noluit illud impedire. Pro admirabili tamen & immensâ suâ *Φιλανθρωπία*, voluit illius, & in eo tanquam radice omnium hominum, nemine excepto misereri, nec ullum perire, atque in miseriâ suâ sine omni spe veniæ relinquere. Itaque porrò decrevit filium suum mittere, qui homo pro hominibus factus, pro omnibus & singulis morte & merito suo

plenissimè satisfaceret, ut quam latè reatus ad condē-
nationem per Adamum sparsus esset, tam latè contrà be-
neficium redemptionis quoque sese porrigeret Rom. v, 18.
Et hoc filij sui meritum, hanc redemptionem, omnibus in
verbo offerri, & ad eam amplectendam invitari voluit,
cum proposito, quod per illam annunciationem in animis
hominum non contumaciter resistentium efficax esse, &
fidem largiri, augere atque conservare veller. Prævidit
itaque simul quinam in virtute gratiæ verbo obtempera-
turi essent, qui minùs. Et sicut prævidit, ita etiam eos
elegit, reliquis justo judicio ob voluntariam & evitabi-
lem contumaciam & incredulitatem reprobatis. Hæc
sententia congrua est tum divinæ benignitati, & erga ho-
mines benevolentia, tum Scripturæ dictis de Deo, quod
omnes servari & neminem perire velit evidenter constan-
tibus, quæ obscurare & *stellis nebulam spargere candidis*, ne-
fas est, & pessimi exempli. Est & ipsa antiquitate venera-
bilis, cum sit sententia prisca & primitiva Ecclesiæ, atque
adeò Augustiniana & Reformatorum, si cum eâ confera-
tur, novitatis meritò arguatur, quippe quæ post quartum
à nato Christo seculum primùm emerferit, nec audita nec
visa prioribus annis. Denique tenenda est, quod ita
comparata sit, ut & securitatem animis hominum excuti-
at, & desperationem quoque arceat atque excludat.

XIII. Reformatorum, ut vocari amant, qui Calvi-
num ducem hinc sequuntur, longè alia mens est. Non ta-
men omninò sententijs inter se conveniunt. Prima est
ipsius Calvinii, Bezæ, Zanchij & similium, qui statuunt
Deum antequam homines creare vellet nonnullos ad vi-
tam, nonnullos vero antè prævisionem lapsùs & pecca-
ti, simpliciter ad damnationem destinasse, vocati ideò in
Belgio supralapsarij. Hi itaque creationem, medium ex-
secu-

secutionis faciunt, quo aliqui ad damnationem aptentur, adeoque docent Deum prius fecisse decretum de hominibus quibusdam damnandis, quam de iisdem creandis. Nec hoc tantum; sed lapsum quoque Adami à Deo dicunt ordinatum, ut occasionem haberet circa nonnullos justitiæ, circa quosdam verò misericordiæ exercendæ. Hæc sententia Deum ipso Phalaride crudeliorem, & peccati quoque autorem directè facit. Vnde Arminius in Epistola dedicatoria, quæ præfixa est collationi Arminij cum Francisco Junio citante Becano (nam ipse Arminij liber ad manum nobis non erat) ejus impietatem tali exemplo ostendit. *Fertur, inquit, quondam Tiberius Cesar virginem quandam strangulari voluisse. Cur? quia ita libebat; sed cum vetaret id patria mos, quo non licebat intermeratam occidere, misit virginem ad lenonem, & decreto suo viam ipse sternens, stupratam occidi jussit. Ignosce ò bone Christe, Ecclesia tua Doctõribus (Calvino, Beza & similibus) qui de Deo ad exemplum Tiberij scribere non verentur. Et profecto non scripissent, si cruciatus infernales ad breve saltem tempus persensissent, ut alicubi non illepidè jocantur ipsi Remonstrantes. Dignus est adscribi locus ex capit. ultimo Synodi Arausicanæ. Aliquos ad malum divinâ potestate predestinatos esse, non solum non credimus, sed etiam si sunt qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.*

XIV. Altera sententia est eorum, qui docent Deum ex hominibus sua culpâ in mortem & exitium prolapsis, pro mero suo beneplacito, è damnatione quosdam eripere & ad vitam æternam adoptare decrevisse, ceteros verò omnes voluisse præterire, nec ulla pro ijs media quibus miseriam evadere detur ordinare, idque ad declarandam bonitatem & justitiam suam, & hanc quidem in perditis,

*De titul.
Calvinist.
tit. VII.*

ditis, illam verò in servatis. Hæc sententia etsi nec ita sicut prior Deum Autorem peccati facit, nec certos homines citrà omnem culpam & directè ad damnationem vult esse creatos, & à Reformatis hodiè post synodum Dor-dracenam communi consensu acceptatur, tamen & ipsa ita comparata est, ut si effectum ejus spectes, æquè cum priore hominibus anxiiis præcipitium sit in desperationem. Equidem non ignoramus, recentiores nonnullos pro eâ mitigandâ satagere, sed irritus est ille conatus & recidunt tandem & ipsi in priorem impietatem, ut in nuperâ de auxilijs gratiæ dissertatione §. xx. monuimus. Bre-viter absolvendo; quam diu insistitur illi hypothefi, quod electio sit facta absolutè, & citra intuitum alicujus, quod à parte hominum fuerit præscitum, irrefragabiliter sequitur, Deum quantum in se est, quibusdam invidere salutem, contrà quam testatur Scriptura 1 Tim. iv, 10. *Deus est Salvator OMNIVM hominum MAXIME vero fidelium:* meriti Christi efficaciam ex ipsius Dei intentione pertinere ad paucos quosdam, quo posito, inanis fuerit præ-dicatio Evangelij Apostolis sic commissa, ut omnibus omninò gentibus proponeretur. Quomodo enim sine dolo omnes homines potuissent cohortari ut crederent in Christum Col. 1, 28, si novissent merita ejus, ut ut in se sufficientissima, plærisque tamen ex intentione Dei haud fuisse destinata? Sequitur porrò, eos, qui verbo Evange-lij vocentur non omnes seriò, sed plærosque externo saltem, & intus in animò specialiter operante gratiâ casso sono vocari; multa itidem millia infantum baptismum accipere, qui tamen nunquam regenerentur, & similia horrenda. Quæ omnia ita comparata sunt, ut populo Christiano vix tutò & absque metu exoriturorum scrupulorum proponi possint, sicut id ipsi eorum Patroni quidam
non

non obscure interdum agnoscunt. Doctrinam autem
quæ tales effectus gignit, non esse scripturis divinitus in-
spiratis congruam, vel hoc ipsum luculento argumento
esse poterit. Scripturæ enim eo fine & consignatæ & pro-
mulgatæ sunt, ut *per earum consolationem spem habeamus*
Rom. xv, 4.

XV. Dicat tamen aliquis, Reformatos fortè non
docere tale absolutum decretum quale nos ijs tribueri-
mus, cum qui inter ipsos, hodiè præsertim, de hoc negotio
scripserint, de injuriâ sibi facta valdè conquerantur. Sane
facit illud inter alios *Gotofredus Hotton* minister Ecclesiæ
Gallicanæ Amstelodamensis, cujus de Christianâ inter Eu-
ropæos Evangelicos Concordiâ sive tolerantia tractatum
Amstelodami antehac latinè editum, Francofurti ad Mœ-
num nuper idiomate germanico quoque excusum vidi-
mus, in quo totum caput nonnum impendit, ut sententi-
am suæ partis, quantum potest involvat. Præmissis ini-
tiò nonnullis, *quæ utrique parti existimat manere communias*
attamen, inquit, quia Lutherani plerique hic gravius in Refor-
matos insurgunt, eorumque doctrinam tanquam horribilem &
blasphemam exagitare clamando non cessant, aliquantisper im-
morandum erit. Quod benè vortat, nos auscultabimus
Lutherani ergo, ait porro, tale absolutum decretum affingunt
Reformatis, quod omnia omnino transcendat atque excludat
media, vel salutis respectu salvandorum, vel damnationis re-
spectu damnandorum, & à solâ Dei voluntate, nullo habito re-
spectu vel ad fidem Electorum, vel ad infidelitatem reprobo-
rum irrevocabili fato suspendatur. Hic subsistamus paulis-
per, & videamus quomodo vera falsis misceat autor. Ve-
rum est, quod Lutherani Reformatis tribuant absolu-
tum decretum tale, quo qui ad salutem eliguntur, nullo
habito

C

Tract. IV.
Cathol.
Orth. qu.
ix. num. 7
seq.

habito respectu ad fidem tanquam causam impulsivam eligantur. Et hanc suorum sententiam esse, Hotton ipse paulo post ingenuè fatetur, quando inquit; *Credunt & docent Reformati, eos qui electi sunt non electos esse, propter suam prævisam fidem, sed ex sola evdokia ut causa movente.* Reprobos verò itidem nullo ad infidelitatem habito respectu, sed ex sola Dei voluntate reiectos, non tantum Calvinus, Beza, Zanchius & alij Reformatorum primipili docuere, sed & hodiè non paucis inter eos placere videtur. Andreas fanè Rivetus, magnæ inter eos famæ atque eruditionis scriptor apertè docet, *utramque de objecto prædestinationis sententiam, tam eam quæ statuit electionem & reprobationem esse factam ex genere humano ante prævisionem lapsus & peccati, quam quæ tenet electionem esse factam ex lapso & peccatis infecto genere humano in fundamento consentire.* Et addit, *posse conciliari sententias diversas de objecto prædestinationis inter eos, qui in eo conveniunt, prædestinationis causam referendam esse ad summam voluntatis divine libertatem non ad prævisa bona vel mala in hominibus.* Videantur illic plura observatu digna. Scilicet juxtà tales, etiam qui reprobantur ex genere humano considerato ut lapso, non tam propter peccatum (nam hoc cum alijs qui eliguntur, commune habent) sed ex Dei absolutâ & simplici voluntate, quâ in his, non in alijs peccatum ei placet vindicare, reprobantur. Quod itaq; Lutherani circa reprobationem Calvinistis tribuunt, id Hotton nunc deprehendet à placitis suorum non esse alienum. Illud verò quod dicit; *tribuit Reformatis decretum tale absolutum, quod omnia salutis media transcendat atque excludat, planè falsum est.* Novimus in executione decreti Reformatos non excludere media,
nec

nec contrarium ijs tribuimus. Docent scilicet quos Deus absoluto beneplacito in sese elegerit, his solis in tempore procurare & largiri efficaciamedia salutis infallibiliter consequendæ, cæteris non item. Quo verò sensu absolutum/decretum ijs tribuamus, id jam plus vice simplici dictum est, & eos tale quoque decretum revera statuere, autor ipse diffiteri non potuit.

XVI. Pergit deinde Hotton & dicit, credere & docere suos, non omnes à Deo esse electos, quod ipse etiam *eventus utpote decreti certissimus & infallibilis index approbet*; credere item ac docere, Deum si jure suo uti voluisset, potuisse homines lapsos æquè ac Angelos sine omni spe veniæ in damnatione relinquere. Item, numerum Electorum apud Deum certum esse. Quæ omnia nec à nobis negantur, nec ad rem præsentem faciunt. Nemo nostrum (uno male tute mentis Hubero excepto) docet, omnes esse electos. Omnium salutem seriò à Deo intendi verum est, & hoc docemus. Nec attinet de jure Dei absoluto disputare: sufficit enim nobis revelata Dei voluntas, quod non obstante lapsu, neminem quantum in se est velit perire. Itaque propiùs ad rem accedens Hotton, dicit, *credere ac docere Reformatos, eos qui electi sunt, non electos esse propter suam prævisam fidem (ecce reum confitentem!) vel opera (hoc cum Pontificij doceant, ipsi pro se respondeant) tanquam propter causam quæ Deum moverit ad hos præ illis eligendos, sed ex solâ sūdōniā, ut causa movente. Nec adduci posse, addit, ut credant per fidem electos fuisse ab æterno qui electi sunt, quemadmodum unà cum Lutheranis orthodoxè sentiunt per fidem justificari eos in tempore. An verò adduci faciliùs possunt, ut credant aliud esse, cujus intuitu Deus salvet in tempore, & aliud cujus intuitu ab æterno salvare*

C 2

decre-

decrevit? Ita verò diversus esset actus externus ab interno, & exsecutio discreparet à decreto, quod aperte est absurdum. Quin falsa forent verba, quæ Hotton ipse paulò ante proferebat, quod *rei eventus sit certissimus, & decreti infallibilis index.* Audiamus tamen rationem assertionis suæ quam mox subijcit. *Si, inquit, ex æquo per fidem electi essent & justificarentur; sequeretur suam electionem, per fidem reapse accipiendo electos esse, sicut justificantur justitiam oblatam ipso facto etiam existentes accipiendo & applicando: at quo pacto id fieri potuisset, cum nondum haberent fidem, nedum ipsi existerent?* Hæc talia sunt, ut magnam autoris *invidiam* arguant. Itaque verbo respondemus; ad hoc ut intuitu fidei homines eligerentur, non necessum fuisse fidem actu & reapse exstitisse, sed suffecisse, fidem ut actu in hoc aut illo per gratiam Dei aliquando exstituram & Christum apprehensuram præscientiæ divinæ in æternitate fuisse objectam. Quod quia non animadvertit autor noster, dicit, *ad fidem & non per fidem homines electos esse, quam ex Dei dono certò in tempore erant habituri.* Equidem vix ita loqui solemus, *per fidem homines esse electos, sed cum scripturâ; secundum præscientiam fidei, intuitu fidei, in fide.* Transeat tamen illud. Hotton hoc vult dicere: Deum in æternitate prius fecisse absolutum decretum de certis quibusdam ad gloriam perducendis, deinde fecisse decretum de mediis, atque inter ea de fide, talibus prædestinatis intempore per irresistibilem gratiam certò & ita dandâ, ut positâ illâ gratiâ non possint non habere fidem: hoc ipsi & complicibus est ad fidem esse electum. At verò, sic fides in mente divinâ fuisset posterior (loquimur nostro concipiendi modo) electione, nec dici possent homines electi secundum præscientiam. Ecquid enim

nim præscitum quæso fuisset, secundum quod electi homines essent, si fides non præscita fuisset, & electionem in æternitate objectivè præcessisset? Quod si verò fides ut præscita præcessit electionem, intuitu utique fidei, in fide, non ad fidem in æternitate electi sumus. Concedimus quidem fidem posteriorem esse electione ratione existentia, & ut intempore in hominibus reperitur; interim ratione intuitus & præscientia electione fuisse priorum affirmamus. Atque hinc dicimur *electi secundum præscientiam.*

XVII. Hotton autem quasi re bene gestâ, *vides nunc*, inquit, *quo sensu agnoscant Reformati electionis decretum absolutum esse, in quantum videlicet non dependet ab ulla re aliâ, vel ab ulla prorsus causâ (impulsiva) præterquam à solâ, solâ misericordia divinâ.* Imò verò Lutherani etiam decretum electionis suspendunt à solâ Dei misericordiâ. Neque enim vident quomodo nõ unicè misericordia divinæ comperat electio ad vitam, quæ fit juxta prævisam fidem Christum apprehensuram. Quâ de re mox iterum dicetur. *At nunquam crediderunt vel docuerunt, ait noster, quod tamen ipsis constanter & vitiosè tribuunt plerique hodierni Lutherani, etiam à mediis salutis esse absolutum hoc decretum, ut à causis (causa impulsivâ extrâ Deum, & certo modo à parte hominis spectatâ) absolutum agnoscitur.* Lutheranos Calvinistis tribuere tale decretum, quo Deus homines quosdam velit salvos citra interventum mediorum, est, ut molliter dicam, oleo nitidius figmentum. Quo sensu autem Calvinistis absolutum decretum à nostris tribuatur, multoties jam diximus, & se suosque tale absolutum decretum credere Hotton ipse agnovit. Quo scilicet posito sequuntur omnia illa incommoda quæ supra §. XIV. enumeravi-

mus. Itaque missum faciemus virum, si saltem causam prius dixerit, quare absolutum illud decretum sibi suisque tam tenerè sit in amoribus. Existimat verò *sententiam suam vel eo, si non alio nomine ipsis retinendam videri, quod non videant, qui doctrina de prorsus gratuita justificatione hominis peccatoris coràm Deo, haberi & servari possit omnibus numeris & gradibus pura, stante illà de prævisione fidei tanquam causa electionis. Quomodo namque poterit justificatio per fidem in Christum, pure gratuita agnosci & manere, si minus gratuita electio eam præcesserit?* Hæc ita tandem ille. Sed inanis est hic metus, & nos eo Reformatos facilè liberabimus. An non enim electio intuitu fidei facta æquè purè gratuita est, ac justificatio intuitu fidei facta? Quid spectatur amplius in electione à parte hominis, quàm fides olim exstitura in eo, sicut in justificatione spectatur fides in actu posita & per gratiam existens in homine? Scilicet quemadmodum fide justificari non excludit solâ misericordiâ & gratiâ divinâ justificari, ita intuitu fidei eligi non excludit solâ misericordiâ eligi. Nullibi enim in totâ scripturâ fides gratiæ & misericordiæ Dei opponitur, sed potiùs eidem subordinari solet, ut in idem recidant, *gratiâ Dei justificari, & fide nihilominus justificari.* Quod si urgentiorem causam tuendi absoluti decreti Reformati non habent quam hanc ipsam, nihil superest, quàm ut eo repudiato, veritati victas manus porrigant.

XIIII. Magis aliàs in speciem pro absoluto electionis decreto pugnat ratio quam VVendelinus & alij afferunt, quod scilicet *elegerit Deus homines in peccatis mortuos, ad omne bonum opus ineptos, æternæ mortis reos.* Itaque per rei naturam nihil in homine divinæ præscientiæ potuisse obijci, quod ad electionem Deum permovere
potue-

potuerit; atque inde adeo causam impulsivam electionis fuisse solum beneplacitum Dei quod intra sese habuerit. Sed & istam, & complures alias VVendelini rationes dudum accurate, ut solet, dissolvit vir doctissimus & planè eximius Dn. Ioh. Musæus Theologus Ienensis. Alias quatuor affert Keckermannus in systemate. *Disp. ii. de predest. cap. 7. & 8. Libr. iii. cap. 1. pag. 302.* Prima hæc est; *Deus est primum & summum principium actionum suarum: primum autem principium est, quod à nullo principio externo pendet. Penderet autem Deus à principio externo, si non potuisset homines, quos volebat, sine fide, tamquam causam impellente ad salutem eligere.* Ite leves nugæ! Eodem modo conficerem Deum in reprobatione quoque non fuisse motum à peccato tamquam causam impulsivam externam, quod Keckermannus tamen ipse paulò post inculcat. *Iustitia Dei, inquit, & satis rectè, est virtus respectiva, quæ creatura vel innocentiam vel peccatum necessario includit. Cum ergo damnatio sit summa & extrema pæna creatura, non potest fieri damnandi decretum sine respectu ac conditione peccati, quod solum est causa proxima damnationis. Nemo ergo perit, nisi suam culpam.* An autem quando Deus peccatis hominum impellitur ad eorum damnationem, desinit esse primum & summum actionum suarum principium? Pluribus & accuratioribus hæc discutere nunc non vacat. Cætera tria Keckermanni argumenta, coincidunt cum VVendelinianis quibusdam, unde nec illa placet attingere. Finem autem faciemus verbis quibusdam Leonhardi Lessij, Iesuitæ quidem, sed rectè hic & cordatè loquentis. *Tales sententia Theologo sunt maxime digna, quæ mentem non obnubilant, sed serenant; non inærorem & torporem injciunt, sed consolationem & vigiliantiam adferunt: quæ bonis moribus, pœnitentia operibus, pietatis* *Prefat. in disp. de predest. Angel. & hom.*

*pietatis cultui, & perfectioni vita favent: in quibus nulla sa-
lebra, nulla inexplicabiles tenebra, nulla errorum umbra, nulla
vel in speciem cum pravis hereticorum dogmatibus affinitas:
in quas scripturarum testimonia non coacta, non confictis &
contortis sensibus, sed obvio & plano intellectu congruunt &
Patrum communis doctrina consentit, & iudicium naturale
suffragatur. Et tantum de praesenti difficilima materia.*

Deo opt. max. sit laus honor & gloria in
infinita secula.

F I N I S.



99 A 7000

ULB Halle

3


002 840 502




28 77

Reho ✓







DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
PRÆDESTINA-
TIONE

Q V A M

AVSPICE DEO OPT. MAX.

SUB PRAESIDIO

GERHARDI TITII
S. THEOLOGIAE DOCTORIS
ET PROF. ORDINARIII

Die Aprilis

IN ILLUSTRIS IVLIA

Publicè disputandam proponit

GEORGIUS CONRADVS *Dilfeld*
Northufanus.



HELMESTADI

Typis HENNINGI MULLERL

CID 13 CLL